nunquam in furta, subinde etiam in incendia, et cædes, periuria
etiam sæpe, et blasphemas in Deum voces aguntur, nonnulli
etiam in omnia scelera, ac flagitia ruunt. Fingite videre vos
huiusmodi farinæ aliquem perditissimum nebulonem (quamvis
non negem pios, ac probos, quod tamen raro accidit, mendicos
reperiri posse, quos semper exceptos velim) num vspiam filum boni
hominis in eo invenire potestis? Ingenium discutite ad mendacia
concinnanda, fallendosque homines instructum est, ex dolis, et
mendaciis consutum esse putabitis: mores expendite, alii et alii
sunt incompositi dissoluti, ad quamvis auræ flatum mutabiles
cameliontem diceretis, scrutamini mentem, nihil agit, nihil
cogitat, nihil molitur, nisi dolos, mendacia, furta: os vultum
oculos, nasum intuemini forte Græcum esse putabitis, qui vid.
græcari, et pergræcari insigniter queat in poculis, non in libris.
totam denique hominis figuram inspicite, quid nisi hominem
nefarium, ac perfrictæ frontis cernitis? At quo habitu? quâ
forma corporis? quo cultu, et figurâ incedit? caput mille fasciis
ligat, et involuit, capillum incultum et dispersum alit, vultu
squalet, toto propemodo corpore nudus est; adhæc vel uno, aut
utroque oculo cassum se conqueritur, aut gibbum effingit, aut uno,
vel pluribus baculis innixus subsultim incedit; dies me prius
deficiat quam technas, ac fraudes omnes numerando percen-
sere queam, nam in tot, tam varias, et diversas, tamque multi-
plices nequissima hæc capita se transmutare norunt, tantum
ut laborem effugiant, otium sectentur, et miseris hominibus
nihil aliud subesse suspicantibus fucum faciant, ut Protheum
in tot feras abiisse, aut abire potuisse merito suspicari queas.
Itaque nequissimi nebulones tali modo personati, et limpsati